

*Testamento di Nicola,
figlio di Teocaristo di Mesa*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Testamento di Nicola,
figlio di Teocaristo di Mesa*

1269-08-21

In nomine domini nostri Iesu Christi Amen. Anno millesimo ducentesimo sexagesimo nono sue Salutifere Incarnationis mensis Augusti vigesimo primo huius anni, tertie decime inditionis Regnante Excellentissimo Domino nostro CaroloCarolo Rege Sicilie, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Andegavie Provincie, et ForqualqueriiComite, Almae Magne Urbis Romane Generali Senatore, Regnorum autem eius anno nono feliciter amen

Nos Ugolinus de Guravio, et Constatinus de Romeo iudices terre Mese, Thomas de Zurafi publicus notarius dicte terre, et testes subscripti ad hoc vocati, et rogati fatemur, et testamur per presens instrumentum. Quod Nicolaus filium quondam siri Teocaristi Thipuro, et generis siri Raimundi de Adermone habitator terre Mese existens infirmus corpore, petiit nobis ut accederemus in domo sua ut distribueret bona sua, et accedentibus nobis in domo sua, vidimus ipsum iam infirmum corpore, mente autem sanum, et hec tum sic instituit suos heredes Mariam, et Simonem filios primi matrimonii sui, nihilominus Frisonam, et Orlandum filios suos secundi matrimonii. Nihilominus et consortem suam Dominicam, dimisit cuilibet ipsorum nomine institutionis Marie videlicet filie sue de terris suis que sunt in Campo Catone terras salmarum trium, consorti vero sue Dominice dimisit habere dodarium suum secundum patet in instrumento dotale suo, et de reliquis bonis suis dimisit habere in protimissim filia sua Frisonam tertiam partem ipsorum, et reliquas duas partes ipsorum dimisit dividit equaliter in dictam mulierem suam, Frisonam filiam suam, Orlandum et Simonem filios suos. Clero autem existente intus terram Mese dimisit eis pro salute

anime sue pro memorando ipsum in sacerdotalibus orationibus, et in quolibet annuali suo cantare in sepultura sua, et facere in annuali suo Missas, dimisit eis terram salmarum duarum in Catona prope alias terras ipsorum sacerdotum. Salvo quod non liceat ut secundum diem Archiepiscopus molestare eos aut auferre ipsas eis, et si forte dictus Archiepiscopus voluerit auferre eas, mandavit ut predictae terre revertantur ad Heredes suos, et de fructibus eorum dant sacerdotibus nomine salutis anime sue. Et salvo quod non liceat ipsi clero eas in aliqua facie ad annuum censuum. Dixit autem quod debet dare Raimundo Provintiali musti salmam undecim, et Petro filio siri Nicolai salmas duodecim. Dixit quod habet oves et capras capita octoginta, et partem porcorum quibus non recordatur, boves domitos duos. Bona autem omnia primi matrimonii dimisit dictis filiis suis eiusdem matrimonii Marie et Simoni. Dimisit autem episcopum filiorum suorum primi matrimonii ... Ioannem Gurri protopapam civitatis Rheggii, avunculum suum, et reliquiis filii suis et in uxore sua, socerum suum viri Raimundum de Adermone..

Mandavit autem si forte aliquis aliquo tempore, vel anno inveniatur contra dictum testamentum quod succumbat in poena Regie Curie in unciis decem, et presens testamentum maneat firmum semper scriptum manu Thome de Zurafi publici notarii terre Mese, mense, et inditione premissis in anno sexmillesimo septingentesimo septuagesimo octavo. Roboratum per nos et subscriptos testes. Similiter Margarite servitrici sue quam desponsavit cum Dominico Tremallia dimisit ei quamdam modicam terram sitam in Campo Catone, prope terram Andree Straticopulli † Ego Gulinus de

Gulafio Iudex Mese. † Ego Costantinus de Romeo Iudex terre Mese. † Ego Ioannes Surati humilis Presbiter interfui testis. † Ego Nicolaus de Romeo interfui rogatus testis. † Ego Ioannes de Romeo testor propria manu. † Ego humilis presbiter Andreasvocatus de Criseo testor. † Ego Ioannes de Lacuna rogatus testor. † Ego Nicolaus de Zurafi testor. † Ego Bartholomeus de Romeo testor. † Ego Vinciguerra de Silvestro testor. † Ego Petrus Taudarus testor. † Et ego Thomas Zurafi publicus notarius terre Mese scripsi et subscripsi.